



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

9. An amenti temporaneo. ac phrænetico dandum sit sacrum Viaticum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

necessitas minus imminet, dictumque urget notabile damnum, non obligat. Ita Cast. tom. 1. disp. ac charit. p. 9. Bonac. de charit. disp. 3. p. 4. alique.

Pelle inf. c. 15 qua ratione siue Paiocho siue non Paiocho incumbat onus Eucharistiam porrigendi, præter id quod ex dictis colligi potest, vide apud Pellizzarium tom. 1. Man. Reg. tr. 6. c. 9. sect. 2. q. 6. Cal. Malder. Reginal. alique apud Castrop. Bonac. Pelliz. citatos.

§. VI. An, qui, mane ex devotione communicavit, deinde in periculum mortis incidit, possit eadem die, pro Viatico communicare;

Non solum posse, sed debere, docent nonnulli cum Hurtad. de Euch. disp. 11. diff. 4. co. nixi fundamento, cuius modo meminimus §. 2. quia nimirum, quando hic mane communicavit, non urgebat præceptum. Communicet igitur adveniente periculo, quando præceptum urget, ut illi satisfaciatur. Nonnulli vero apud Delugo de Euch. disp. 16. sect. 3. n. 54. solum dicunt posse, non autem sub obligatione: siquidem prohibita est duplicata eodem die communicatio.

Communio, & vera sententia est, nec debere, nec posse. Sic Suar. de Euch. disp. 69. sect. 3. §. Rogabis, in fine. Fag. Gualtero, Præpos. Laym. Delugo eos citans dicta sect. 3. Ratio primi est, quia iam est præcepto satisfactum mane, ut constat ex dicto §. 2. Ratio secundi est, quia prohibetur bis eodem die communicare.

Post hæc scripta, & impressa legi præter Hurtadum iam citatum, sententiam Pellizzarij, Quintanaduenas, Dicastilli, Martini de S. Ioseph Leandr. Lud. à S. Ioan. Bap. Duenz. p. 10. tr. 11. ref. 40. aliorumque, quæ docent posse, ac debere. Verum omnibus accuratè perpensis distinguendum esse, ne locum errori demus, sic censeo. Vel mane quis communicavit bene valens, & deinde incidit in morbum periculosum: Ita ut creatur, non potestur vitam ad diem sequentem, & hunc iterum posse eodem die, imò debere communicare probabile est ex auctoritate tot. Doctorem; nec aliud ipso vellet, si eorum verba, & rationes perpendantur, existimo, vel mane quis dum laboraret periculoso morbo, pro quo, si illud periculum advertebatur, poterat ei dari Viaticum, ipse tamen communicavit ex devotione, & hunc non posse iterum eodem die communicare, si recrudescat tunc morbus, ob quem iudicetur eodem die moriturus, constanter affirmo, & de hoc casu ego sum loquutus in hoc n. 10. loquutus enim sum de eo ægroto, qui communicavit mane, & deinde apparuit periculum. Ratio utriusque partis distinctionis est, quia in priore casu ex probabili sententia non est satisfactum præcepto communicandi in periculo mortis; ille enim in periculo non erat quando communicavit. At in posteriore casu satisfactum est, quia iam erat in periculo, quamvis non putaretur esse, vel quamvis cum ea intentione non communicaverit, sicut si mane diei festi audeat Sacram, licet nescias illum esse diem festum, satisfactis præcepto, quia tunc rem præceptam iam implevisti, neque Missam aliam teneris audire post scientiam facti, ut alibi docuimus. Ecclesia enim præcipit audientem Missæ simpliciter, non intentionem Satisfaciendi præcepto.

Ex dictis colligo: me facilius concedere iteratam in eodem die communionem illi, qui ex inf. d. volnere, quam illi, qui ex febris, V. G. in periculum viæ incidit: nam vulneratus, si communicavit ante acceptum vulnus, non communicavit tempore periculi; sed fabricatus cum habeat in se litem febris ex communiter contingentibus præsumere debeo, communicasse tempore quo astat periculum, quamvis nobis ignotum, & solum valde peritus Medicus posset testificari, verè novum morbum accessisse, qui periculum illud adduxerit, certè casus iustissimus erit.

Parti II.

§. VII. De sumente Viaticum, in mortali, deque mortaliter peccante post illud.

11. Si quis Sacrum Viaticum, existens in peccato mortali sacrilegè sumpsit, licet aliàs peccaverit, huic tamen præcepto iam satisfecit, prout constat ex dictis c. 4. §. 3. num. 54.

12. Quod si ritè, & pure Viatico refectus est, sed post ipsam refectorem incidit in mortale; aliqui cum Sot. in 4. d. 12. q. 4. art. 11. putant astringi iterum, in eodem mortis periculo communicare, ut non moriatur sine auxilio Eucharistiz. Verum consilium id quidem bonum est, non obligatio: Sic Hurtad. de Eucharist. disput. 10. diff. 3. Delugo de Eucharist. disp. 16. sect. 1. num. 46. quia iam, per priorem sumpcionem præcepto factum est satis. Ad confessionem autem talis peccati obligatur, etiam si contritus sibi videatur: quia debet observare præceptum subdandi clavibus omnia peccata mortalia.

§. VIII. An pueri communicandi sint pro Viatico.

13. Pro pueris, usum perfectum rationis habentibus, non est dubium adesse præceptum, & non adesse pro rationis expertibus, ut patet ex dictis supra cap. 1. §. 2. Solum ergo est difficultas de pueris intra latitudinem decimi, quatuordecimi anni existentibus: qui habent quidem aptitudinem ad confessionem, non verò, ex aliquorum sententia, ad reverenter suscipiendam Eucharistiam.

14. Dico, his posse, imò debere dari Viaticum, sicuti iisdem dari solet Extrema unctio: Ita Suar. de Euchar. disp. 70. sect. 1. & passim id enim suadet præceptum divinum, in tanta instantis necessitate: esto, non esse dandum contendat probabiliter, Vasquez de Euchar. disp. 214. c. 4. n. 41. Hurtad. de Euch. disp. 10. diff. 4. alique. Immo Delugo de Euch. disp. 13. sect. 4. n. 4. merito, propter eandem rationem, contendit, etiam puto de quo sit dubium, an doli capacitatem habeat possit (licet non debere) dari Viaticum, sicuti datur confessio, & Extrema unctio, licet hæc, propter periculum irritandi Sacramentum, sub conditione.

Dices, cur pueris benè discurrentibus, potest & debet, his verò sub dubio discurrentibus solum potest? Respondeo, quia illi subduntur legibus, atque adeo huic præcepto: hi verò, cum sit dubium, an discurrant, dubium etiam est, an subdantur legibus, & consequenter, ex doctrina Doctorem apud Castrop. de conscient. disp. 3. num. 2. in materia de legibus, ad observandam legem non obligantur, quia in tali dubio est possessio pro libertate.

§. IX. An amentis temporaneo, ac Phrenetico dandum sit Sacrum Viaticum.

Diximus c. 4 §. 1. perpetuo amentibus, non esse dandum Eucharistiam: nunc consequenter dicendum, nec esse dandum Sacrum Viaticum: semifatuis vel, ut etiam stolidis, & mutis, surdis, sicuti Eucharistiam in vita esse concedendam, dummodo absit periculum irreverentiz ibidem diximus, sit & in morte Viaticum esse dandum, nunc consequenter asserimus.

At verò illis, qui prius usu rationis potiti sunt esse porrigendam Eucharistiam in articulo mortis, si prius voluntatem habuerint eam recipiendi, docet cum communis opinione S. Thom. 2. part. quest. 80. artic. 9. idque universaliter, siue paulò, siue multò ante mortis periculum (cum eodem sit ratio) usum rationis amiserint. Adde non solum posse porrigi, sed debere, quando non est periculum irreverentiz, sicuti iisdem dari etiam solet Extrema unctio. Colligitur ex Suar. de Eucharist. disputat. 66. sect. 1. Vide quæ dixi ibidem num. 4. circa finem.

H

16. Petes

16. Petes qualis voluntas requiritur, ut præcedat amentiam. Respondeo alij exigunt, ut petierit: alij melius cum Delugo *de Euch. disp. 13. sect. 3. n. 15.* satis esse doceant, quod piam, ac religiosam voluntatem præ se quis tulerit: atque ita, si non constet de peccato mortali commissio, & non absoluto, præsumendum in bono statu, & communicandum. Nec est par ratio de confessione: nam præterquam quod, aliqui apud Dianam *p. 3. tract. 3. ref. 8.* concedunt etiam non petenti moribundo, sed tamen, qui christianè vixerit posse, immò debere dari absolutionem, saltem sub conditione: est dispar ratio: quia actus poenitentis sunt materia necessaria Sacramenti poenitentiae, quod non est in communione. Lege Delugo *de poenit. disp. 17. sect. 3.* Ad hoc facit illa probabilis doctrina Navarri in *Man. cap. 16. n. 27.* dicentis infirmo alienato à ratione, etiam si non petisset Sacramentum, sed tamen dederit aliqua signa contritionis, tollendo manus, percutiendo pectus, dicendo *Misere*, dandam esse Eucharistiam etiam si obtinatus multo tempore in peccato mortali vixisset, nec per multos annos confessus fuisset: poterit enim absolvi, saltem sub conditione, & communicari, &c. Lege Ioan. Sanchez in *sol. disp. 44. n. 33.* Vide quæ dicam *p. 6. §. 3.*

§. X. Quando licet dare infirmo non ieiuno Communionem.

17. Privilegio sumendi Eucharistiam non ieiunum tunc demum quis, instante morte, uti valet, cum necessitas exposcit. Vidi ego timoratos quosdam non ieiuno dedisse Viaticum, cum facillimè potuissent ieiuno: Sanè non ritè, eosque modèstè monui privilegium eiusmodi non esse Viatico absolute concessum, sed sub conditione necessitatis illud non ieiunè sumendi. Ita Suar. *de Euch. disp. 69. sect. 3. §. Rogabis initio.* Quoniam verò articulus mortis est, quando brevi inevitabiliter moriturus est agrotus: periculum verò quando probabiliter dubitatur, non post multum tempus de eiusdem morte, quæ frequenter in tali casu accidere solet, hoc privilegium habet Fidelis, tum in articulo, tum in periculo: sicut etiam habet posse absolvi à reservatis à quocunque Sacerdote. Sic Delugo *de Euch. disp. 15. sect. 3. n. 74.* Quale autem, & quantum debeat esse periculum, potius ex Medici prudentia, & astantium arbitrio cognoscendum erit, quam aliunde. Illud certum est, minus periculum hic requiri, quam requiritur Extrema unctio: ut ex praxi communi constet, illi rationi innixa, quod morti non valde proximus majori cum devotione sacramentum receptionem suscipere poterit.

18. Non est tamen scrupulosè prædicta necessitas expendenda. Unde, si commodè non possit expectari, quando is communicandus sit ieiunus, sive sit infirmus, sive sit iustus, vel iniuste occidendus, communicetur, non ieiunus. Immo iudex non tenetur expectare executionem mortis in teo, ut is communicet non ieiunus. Ita idem Delugo *disp. cit. 15. sect. 3. n. 72.*

19. Simili ratione *ibid. n. 74.* incommoditas, quæ esset in iis, qui communicare infirmum debent excusari à ieiunio. Hinc excusantur, qui ne statim post mediam noctem surgant, ad dandum infirmo ieiuno Communionem; dant Vespere non ieiuno.

20. Parochus item excusatur *ibid.* qui impeditus manè in Ecclesia, expeditius sero accedit ad agrotum non ieiunum communicandum. Invenio etiam excusari Parochum ex eo capite, quod Vespere, cum maiori decencia, comitantibus laicis Sacramentum deferret, quam mane. Ratio autem prædictorum est, quia non tam rigoroſè accipiendum esse eiusmodi præceptum, in occasione Viatici, ipsa piorum praxis docet. Nam propterea idem privilegium, extendi probab. liter ad Sacerdotem, ut, possit non ieiunus celebrare, si non adsint alia particula consecrata, ad dandum alteri Viaticum diximus *supra cap. 2. §. 8. n. 31.*

21. Illud denique huc reduci potest, quod si infirmus

res siccas, atque adeo Sacratissimam Hostiam glutire non potest; etiam sumpto post illam vino aliquo liquore; aptum remedium fore potant aliqui. Etiam Sacramentum intinctum vino à Sacerdotis manu firmo porrigi: porrigi enim per coclear, vel alius instrumentum algentium, vel aureum vino plenum, difficile aliquibus sit, quia etiam peste infectis non creditur per similia instrumenta Sacramentum Hostiam porrigere; cum consuetudo Ecclesiæ Latinæ sit à ministris esse Eucharistiam immediate suscipiendam. Sic Bonac *disp. 4. de Euch. q. 5. 2. p. n. 10.* Lege Suar. *disp. 44. sect. 3. n. 17.* Quamvis non improbab. liter sit, si in scandalo & periculo lapsus Eucharistia in terram non possit censeri. Possimus apud eundem Bonac. Alia quædam pertinentia ad Parochum dantes Viaticum, habes *infra c. 6 §. 1.* sicut etiam quid sit infirmo patiente vomitum, habuisti *c. 2. §. 1. & c. 4. §. 1.*

§. XI. An qui semel Viatico refectus fuit, possit eandem ageritudinem, sepius non ieiunus communicare.

22. Tribus dictis, quæ ad propositam diffinitionem pertinent, mox more, hoc est breviter, respondiam. Dico primo si morbus statim motus, ut si agrotus in vitæ periculo versabatur, & deinde convalescit, postea simile periculum rediit, potest in posterum in periculo, non ieiunus communicare (licet in potius liter non ieiunus communicaverit) Idque toties, quæ simile quid evenierit. Ita Delugo *disp. de Euch. 17. n. 62.* & communiter.

23. Dico secundò, quando idem periculum peroratur: si heri v.g. communicavit (etiam sub titulo Viatici) ieiunus, poterit hodie non ieiunus *ibid. num. 64.* Valq. *de Euch. disp. 211. c. 4. n. 38.* Et contra si heri communicavit non ieiunus, poterit hodie ieiunus. Collegitur ex eodem.

24. Dico tertio in eodem casu quando idem periculum perseverat, heri non ieiuno pro Viatico communicavit, Laym *lib. 4. tr. 4. c. 6. n. 20.* Hurtad. *de Sacram. disp. 9. diff. 1.* concedunt etiam hodie, id est sequenti die, non ieiunum iterum pro Viatico communicare potest alij verò apud citatos, negant. Sanè utrumque prædictum est: licet non ignorent negantium sententiam esse communiorum. Quorum negantium aliqui, cum var. apud Delugo citati docent posse post multum tempus, alij cum Villal. apud eundem, post triginta dies, vel octo dies: alij cum Sylv. *ibid.* post septuaginta dies: alij cum Suarez & Nunnio *ibid.* post sex menses: alij cum Armilla, Filliuc. *ibid.* post sex: alij cum Laymo. S. Ioan. *ibid.* post tres. Ratio harum opinionum est, quia cum moribundum, non ieiunum communicare sit in Ecclesiâ vel concessione, ex Valq. *de Euch. disp. 211. c. 4. n. 35.* vel consuetudine ex Delugo *cit. n. 39. fin.* ususve interpretantur.

§. XII. An eadem die, qua quis occidendus est, possit communicare. Et quid de Infidelis qui eodem, quo baptizatur die, est suspendendus.

25. Anormi in Sicilia, & in Regno Castillæ eadem die ponendos, non solent Minutim prædicare. Ego tamen non video sufficientem talis consuetudinis rationem: tum quia eodem die interficiendum communicare nullo modo creditur in interfectionem Christi Domini: tum quia Romæ eadem ad mortem vicinam disponitur: tum quia Romæ eadem die ejusmodi interficiendos communicant. Ita etiam apud Dianam *p. 3. tract. 4. ref. 59.* & p. 5. n. 3. ref. 1. Immo aliqui cum Ioan. Sanchez in *sol. disp. 40. n. 1.* concedunt iterum die sequenti, quo morituri sunt, communicare posse. Idque S. V. *Euch. num. 2.* aliqui